

Imo S. Chrysostomus ait: Quemadmodum suas virtutes recitare, extrema videtur dementia, si nulla superest necessitas; ita necessitate violenter incumbente, propellenteque, proditio est, ea facere, quæ quis studiose perfecit. (S. CHRYS. in *illud S. Pauli: Utinam sustineretis*.) Porro causas, cur aliquis hoc facere possit, S. Thomas sequentibus verbis indicat: Ut aliquis ab aliis cognoscatur, potest appeti, quantum est utile ad aliquid; vel ad hoc, quod Deus ab hominibus glorificetur; vel ad hoc, quod homines proficiant ex bono, quod in alio cognoscunt; vel ad hoc, quod ipse homo ex bonis, quæ in se cognoscit, per testimonium laudis alienæ, studeat in eis perseverare, et ad meliora proficere; et secundum hoc laudabile est, quod aliquis curam habeat de bono nomine, et quod provideat bona coram Deo et hominibus, non tamquam in hominum laude inaniter delectetur. (S. THOM. II, II, q. CXXXII, art. 1.) Hinc S. Augustinus explicans illud Christi: Cavete facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis, ait: Numquid voluit hoc dicere, ut, quæcumque bona facimus, abscondamus ab oculis hominum, et timeamus videri? Si times spectatores, non habebis imitatores. Debes ergo videri, sed non ad hoc debes facere, ut videaris. Noli ad laudem tuam operari bonum, quod agis, sed ad laudem illius, a quo habes, ut bonum agas. S. AUG. tr. VIII, in ep. I. *Joan.*

MISCELLANEA.

FUGA. — Prudenter suavit Persius:

Respue, quod non es, tollat sua munera, Cerdo.
Tecum habita, et noris, quam sit tibi curta suppellex.

Persius IV.

Et iterum:

Usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi tescire hoc solet alter?
At pulchrum est digito monstrari, et dici: Hic
fest.

Idem. I.

Quid stultius est, inquit Seneca, quam in homine aliena laudare? Quid eo dementius, qui ea miratur, quæ ad alium transferri protinus possunt? Nemo gloriari, nisi de suo debet. SENECA, ep. XXXI.

Bonum est laudari, sed præstantius est esse laudabilem. Neminem cito laudaveris; neminem cito accusaveris. Vitium est, omnia

credere, vitium est, nihil credere. Idem, I. *de Mor.*

Themistocles theatrum petens, interrogatus, cujus vocem libentius audiret? respondit, ejus, a quo sua virtus prædicaretur. ERASMUS I. III, c. XXXVI.

Antagenes dicebat, ita vivendum esse hominibus, ut vivilaudabiles sint, mortui autem beati judicentur. ANTAG. in *Melissa*, p. I, s. LI.

Idem, cum audisset, quantum ab hominibus laudaretur, dixit: Cum multi me laudant, tum me nullius pretii esse judico; cum pauci, bonum et egregium virum me esse puto. Idem.

Agesilaus dicebat, sibi jucundum esse laudari ab his, qui et vituperare non vererentur, si quid displicuisset. Tales enim, si quid laudant, judicio laudant, non metu, aut adulatione. Idem dicebat, non minus laudatoris inspiciebat esse mores, quam ejus, qui laudatur, significans, raro contingere, ut quis alia laudet, quam quæ moribus suis conformia sunt. PLUR. in *Lacon*.

Antisthenes audiens ab improbis quibusdam se laudatum: Vereor, inquit, non imprudens mali quid fecerim, sentiens a talibus neminem laudari, nisi ob insignia malefacta. LAERT. I. VI, c. I.

AUCTORES.

Nicolaus Lancizius, opusc. VIII, c. X.

Ludovicus Granatensis, in *Locis Communibus*, fol. 584.

Thomas Stapletonus, text. I, in *Dom. XII*, post *Pent.*

Jeremias Drexelius, in *Amussi*, l. II, c. IV et V.

Josephus Langius, in *Polyantha* V, eodem.

LECTIO SPIRITUALIS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Describitur Lectio Spiritualis ab Alvarez hoc modo: « Lectio Spiritualis est cum S. Scripturarum paginas, aut Sanctorum Doctorum libros evolvimus, non solum ut sciamus, sed ut Spiritu proficiamus, et Dei voluntatem intelligentes, eam opere exequamur. » (JAC. ALVAREZ tom. I, l. II, p. IV, c. XXXI.) Et iterum alibi: « Spiritualem, inquit, Lectionem vocamus, quæ mysticos libros, et spirituales tractatus evolvimus, in quibus non solum rerum spiritualium notitiam, sed multo magis earum gustum et affectum quærimus. » (Idem tom. III, l. III, p. V, sec. 2, c. II.) Porro quid sit sapor et gustus spiritualis, Julius Nigroneus in tractatu de Lectione Spiritualis sic explicat: Sapor iste non est aliud, quam qualitas seu perfectio supernaturalis, quæ in rebus spiritualibus delitescit, et a spirituali palato percipitur. (Nigroneus tr. V. *Aetic*, c. III, n. 8.) Quam Guilielmus Parisiensis duplicem assignat. Alteram in intellectu sublimato, quam divinæ bonitatis sapor ac suavitas perfundit; quemadmodum pulchritudo spectata delectat oculum, quoniam omnem operationem eujusvis potentie in objecto congruente occupate delectatio comitatur tanquam perfectio. Alteram declarationem ponit in voluntate et appellat delectationem affectionis et amoris. Etenim ex eo, quod oculus pulchritudinem aspexit, oritur in affectu amor ejusdem, et sapor seu gustus delectationis in illa. Pari modo in Lectione Sacra ex eo, quod intellectus percipit res, sensa, sententias, promissiones divinas, et alias suavitates, quas saporibus dicimus, voluntas ad amorem excitatur, ipseque amor delectat, quoniam jucundum est amare, ut S. Augustinus et Aristoteles testantur, cum quotidiana experientia. At hæc delectatio gustus spiritualis dicitur, sapor, et amoris affectus, ad quem S. David invitavit, dum dixit: « Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. »

Divisio. — Dividitur hæc Lectio a Nigroneo et aliis in præceptivam, exemplarem, et affectivam. Tomus II.

Præceptivam vocant, quæ doctrinæ et dicta Sanctorum ad disciplinam nostram pertinentia evolvuntur. Exemplaris est, quæ gesta et exempla Sanctorum perleguntur. Affectiva est, quæ voluntas tum ad præcepta, persuadetur, tum ad exempla, quæ lecta sunt, observanda et imitanda. Ibid. l. c. III, n. 7.

Idem Nigroneus alio adhuc modo. Lectionem in ordinariam et extraordinariam dividit: et ordinariam quidem vocat, cui quotidie certum tempus impenditur; extraordinariam vero appellat, quæ præter ordinariam in certis occasionibus et temporibus instituitur, et diutius continuatur, uti fit, cum secessus octiduanus aut semestris collectio suscipitur, cum gravis aliqua tentatio simile remedium exigit, et cum Festis diebus ob vacationem a laboribus plus otii ad lectionem conceditur, quæ Lectio, ait Nigroneus, fructuosior videtur, tum quia attentius et accuratius libri leguntur sine sollicitudine aliarum occupationum; tum quia Deus per more suo, per Climacum observato, plus gratia sua illis diebus, quos sibi cultuque suo dedicavit, affecturus et laborem hunc spirituales benedicturus videatur.

EX S. SCRIPTURA.

LECTIONIS USUS. — Attende lectioni, exhortationi et doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te est per occasionem legendi a Deo oblatam I. Tim. c. IV, 13.

Verbum Christi habet in vobis abundanter. Coloss. c. III, 16.

Ipsi (scilicet auctores et libri) docebunt te, loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia. Job. c. VIII, 10.

Intravit in Synagogam, et surrexit legere, et traditus est illi liber, et revolvit librum. Luc. c. IV, 26.

NECESSITAS. — Erudire, Jerusalem, ne forte recedat anima mea a te, ne forte ponam te terram desertam. Quæ verba Turrecremata ad animam devotam et Lectionem Spiritualem applicat. Jer. c. VI, 8.

UTILITAS. — Interpretabatur (Christus) illis in omnibus Scripturis, et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum. Luc. c. XXV, 28.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. Ps. XI, 101.

Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. Ib. 130.

Habemus firmiorem propheticum sermo-

nem, cœi bene facitis attendentes, quasi lucernam lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, et Lucifer oriatur in cordibus vestris. II PETRI, c. 1, 19.

Omnia Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum. 2. TIM. III. 16.

Sacras litteras nosti, quæ posant te instruere ad salutem. Id. 13.

Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere. JOAN. c. v. 42.

JUCUNDITAS. — Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. PSAL. CXVIII. 113.

Accipe librum, et devora illum, et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam meli. Et accipi librum de manu Angeli, et devoravi illum, et erat in ore meo tanquam mel dulce. APOC. c. x. 9.

EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

S. SCRIPTURÆ COMMENDATIO. — SACRAMENTUM litterarum lectio donat in Deum cognitionem; scriptum est enim: « Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus. » Audis, frater, quod Dei scientiam accipiat, qui simpliciter, veroque corde divinis vacat Scripturis; idcirco, mi frater, vide, ne negligas animam tuam, sed Læctioni sedulo incumbere, ut mens tua illuminetur, fiasque perfectus et integer, in nullo deficiens. S. EPIPH. de Patientia.

Nihil animarum salutem conducibilium, quam divinas Scripturas scrutari. Quemadmodum enim lignum plantatum secus decursus aquarum; ita etiam anima divine Scripturæ fluentis irrigata saginatur, fructumque tempustivum, hoc est, rectam fidem profert, ac perpetuo virentibus foliis, id est, Deo gratis actionibus exornatur. S. JOAN. DAMAS. I. IV. Orth. Fid. c. XVIII.

Ubique in eis veritas regnat, ubique divina virtus irradiat, ubique panduntur humano generi profutura. CASSIOP. de Dio. Lect. c. XVI.

Nunquam de manu tua, et oculis tuis recedat liber. Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis. S. HIER. ad Rust.

Non solum thesauro similia sunt divina eloquia, sed fonti quoque largis, perenni-

busque scaturienti fluentis etc. Hæc spirituum fluminum natura est, ut hoc magis scaturiant, et accrescat spiritualis gratia, quo quis magis inde haurire studet. S. CHRYS. hom. III. in Gen.

Est sacra pagina sapientie Verbi speculum, et divinitatis armarium. Quis non Dei miretur sapientiam, cum tot mysteriorum sacramenta, tot veritates sub litteræ cortice esse videt contenta? S. LAUR. JUST. c. XIX. de Cost. Connub.

Est autem Scriptura cor Dei, os Dei, lingua Dei, calamus Dei; liber, scriptus intus et foris, unde in Psalmo dicitur: « Eructavit cor meum verbum bonum, diceo ergo opera mea Regi. Lingua mea calamus scribe velociter scribens. » Cor Deus, os Pater, lingua Filius, calamus Spiritus Sanctus. S. GREG. I. II Mor. c. 1.

Qui ignarus est, inveniet ibi, quod discat. Qui contumax est et peccator, inveniet ibi futuri judicii flagella, quæ timeat. Qui laborat, inveniet ibi gloriam et promissiones vite perpetuæ, quas manducando amplius exciteatur ad opus. Qui pusillanimis est et infirmus, inveniet ibi medicos justitiæ cibos, qui etsi pinguem animam non faciunt, tamen mori non permittunt. Qui magnanimus est et fidelis, inveniet ibi spirituales escas continentioris vite, quæ perducent eum prope ad Angelorum naturam. AUCT. OP. IMP. hom. XIV.

Ingens bonum est, divinarum Scripturarum Lectio. Hæc facit animam optimis moribus præditam. Hæc in eorum mentem transfert. Hæc memorem reddit beneficii hominem. Hæc facit, ne quidquam ex rebus presentibus admiremur, sed ut perpetuo in alia vita, mente nostra versemur, et ad Domini mercedem respicientes, omnia operemur, alacritateque magna virtutum laboribus aggrediamur. S. CHRYS. hom. LV. in Gen.

Habet infans, quid lactet; puer, quid laudet; adolescens, quid corrigat; juvenis, quid sequatur; senior, quid precetur. Hinc, discant femine pudicitiam; populi pietatem; viduæ judicem; pauperes protectionem. Hæc tristem consolantur; letum temperant, iratum mitigant, omnibus se suspicientibus apta medicamenta tribuunt. S. HIER. in Psalm.

Sicut vitrum et speculum est Sacra Scriptura, in cuius splendore nativitas nostræ vultum debemus considerare. Vultus nativi-

tatis nostræ est, unde nati sumus, quales et ad quid; Unde nati, quantum ad vililitatem materiæ; quales, quantum ad fragilitatem substantiæ; ad quid, quantum ad dignitatem gloriæ, in qua si factores verbi fuerimus ex vicinitate veri Solis lucebimus. In speculo sacre doctrinæ ista tria reperuntur. De vililitate materiæ, Genesios tertio: « Ciois es, et in cinerem reverteris. » De fragilitate substantiæ, Psalmista ait: « Anni mei, sicut aranea meditabuntur. Quid araneæ tela fragilius, quid vita hominis corruptibilis? In hoc speculo miser homo, cum nativitas suæ vultum considerat, scilicet qualiter natus, quam fragilis, quam vilis, vel quid futurus aliquando, compunctionem et penitentem voluntatem contrahit. S. AXROS. PAD. Dom. 5 post Pasch.

Commenda Scripturas ratione principii, si enim consideras principium, habet privilegium super omnes, quia aliæ sunt traditæ per rationem humanam, sacra autem Scriptura est Divina. 2. Petri 1. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. Job. 32. Inspiratio Dei dat intelligentiam. S. THOM. in II. Tim. c. III. 16.

Nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit, quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis ac dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis, tanquam suis manibus imperavit. S. AUG. I. I. de Consens. Evang. c. XXXV.

Jure itaque Sacra Biblia definiens Summus Ecclesiæ Pastor Gregorius, eas vocat Epistolam Dei viventis ad creaturas missam. Et Augustinus: Littere, inquit, quæ de civitate celestis nobis venerunt, ipsæ sunt Scripturæ. Easdem divine sapientiæ fontes, puteumque aquæ salientis in vitam æternam, censet Philo Carpatus. Alioqui enim, unde tantum auctoritatis et dignitatis culmen tot orbe obtinissent, tot lingue, tot gentes, tot ætates pro divinis oraculis illas suscepissent, in his totius salutis proram, pappimque collocassent, easque hereticis ut muros athenos opposuissent, ac pro illarum veritate tot subsissent martyria? Quis unquam pro Socratis, Platonis, vel Aristotelis summorum Philosophorum placitis, ad ignes, ad bestias, ad cruces usque decertavit? Idem. in Pref. Gloss. ord.

Divinas Scripturas sapius lege, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio depona-

tur, in Scripturis divinis, per quas solas potes plane Dei intelligere voluntatem, prohiberi quædam, præcipi quædam, concedi aliqua, suaderi nonnulla, prohiberi mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, suadentur perfecta S. GREG. in Moral.

Omniem scientiam atque doctrinam Sacra Scriptura transcendit, ut taceam, quod vera prædicat, quod ad celestem patriam invitat, quod a terrenis desideriis cor legentis revocat, quod dictis obscuriores fortes exercet, et parvulus humiliter sermone blanditur. Nec igitur clausa est, ut pavesci debeat, nec si patet ut vilescat, sed usu fastidium tollit, et tanto plus diligitur quanto amplius meditatur. Idem.

In Scripturis ignorans invenit quid dicat, contumax quid timeat, laborans præmia, pusillanimis medicos justitiæ cibos, qui etsi pinguem non faciunt, animam mori tamen non permittunt. Qui autem magni est animi invenit ibi spirituales escas, quæ perducent eum prope ad Angelorum naturam; qui vero est vulneratus a diabolo, invenit ibi cibos medicinales et saltem per penitentiam. S. CHRYS. super Matth. c. XXIV.

UTILITAS LECTIOMIS. — Læctionis sacre cogitatio, cultoribus suis sensus arumen ministrat, intellectum multiplicat, torporem excutit, otium amovet, vitam componit, mores corrigit, salubrem genitum facit, et lacrymas compuncto corde producit, loquendi tribuit facultatem, æterna laborantibus promittit præmia, spirituales divitiæ auget, vaniloquium, vanitatesque compescit, et desiderium Christi, patriæque celestis accendit. SMARAG. ABB. c. IV. Reg. S. Bern.

Ibi sentimus quantum proficimus. Narrat autem gesta Sanctorum, et ad imitationem corda proveat infirmorum; dumque illorum victicia facta commemorat, contra vitiorum prælia, debilia nostra confirmat, fitque verbis illius, ut eo mens minus inter certamina trepidet, quo ante se positos tot virorum fortium triumphos videt. Nonnumquam vero non solum nobis eorum virtutes asserit, sed etiam casus innolescit, ut et in victoria fortium, quid imitando arripere, et rursus videamus in lapsibus, quid debeamus time- re. S. GREG. I. II Mor. c. 1.

Discurre Scripturarum amœnissimos campos, lege tamquam apis, et recende in alveolo memoriæ suavissimi odoris flores, castitatis lilium, olivam charitatis, patientiæ

rosam, uvas spiritualium charismatum. PETR. CELLENSIS, l. III. epist. XII.

Perspicuum est, Spirituali Lectione animam sanctificari, et gratiam Spiritus Sancti affatim infundi. S. CHRYS. hom. XXXI. in Joan.

Qui sacrorum studiosus librorum, iure etiam dici potest amator Christi, secundum quod dictum est a Domino: « Qui diligit me, sermones meos servat; et qui diligit me, diligetur a Patre meo. Idem, hom. de Pseudoproph.

Ubicumque verbum Dei legitur, ibi Spiritus Sanctus occulte operatur, qui malos de peccato redarguit, et bonos per spem et consolationem Scripturarum confortat, ut amplius proficiant. THOM. KEMP. Op. de Discip. c. 1.

Non mediocriter solet illustrare, et colligere mentem lectio, verba enim Spiritus Sancti sunt, et lectores omnino dirigunt et moderantur. S. CLM. grad. XXXVII. c. XXXIX.

Sacramenta Scripturæ, que exterius videntur arida, intus sunt viva, et hoc dixit Salvator Judæis: « Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere »; nulla alia Scriptura vitam dat nisi hæc, unde Psalmista ait: « Vivifica me secundum eloquium tuum. » S. BONAV. s. 14. Hæcam.

Hæc est illa *Turris David*, que edificata est cum propugnaculis, mille clypei pendentes ea, omnis armatura fortium; nulla est enim tentatio, nulla adversitas, nullum infortunium, nulla calamitas, cui non Sacra Scriptura medeatur, et succurat consolatione, consilio, vel alio quopiam remedio. S. THOM. VILL. conc. 1. in Dom. 1. Quad.

Mens tua divinis se voluminibus occupet; his intenta pervigil semper instantia perseveret; his antiquus insidiator, cum te videt intentum, velut hostem fugit armatum, et timet continuus aggredi, donec te conspiciat his telis, et impenetrabili, ut ita fateatur, lorica muniri. S. PETRUS DAM. lib. VI. ep. XXX.

Lectio Scripturarum, munitio est adversus peccatum. CHRYS. *Super Lug.*

DAMNUM LECTIONIS OUSCENÆ. — Tu, qui pro tuo proprio et speciali peccato tam gravia passurus es, quam graviora pro multorum peccatis expectas, quorum innocentiam argumentose libidinibus astutia subvertisti, illud ad cumulum tuæ perditionis accedit, quod cum princeps factus sis Sodomorum et Gomorrhæ, immanitatis tuæ discipuli post

te sedebunt in cathedra pestilentie, serpenteque pestis cancerosa in multos, ut veniat super te omnis sanguis eorum, quos corrupisti. PETRUS BLESS. de Confes. Sacr.

Quis æstimare sufficit, quam execrabiliter damnabilis sit apud Deum et hominem Herodiana crudelitas, que pueros occidit, atque malitia Pharaonis, qui submersit parvulos Hebræorum? Et illi quidem non animarum, sed corporum homicidæ fuerunt. Quanto ergo detestabilius est eorum non dicam homicidium, sed parricidium, qui tot innocentem animas occiderunt! Proculdubio, quanto excellentior est anima corpore, tanto infeliciores Pharaone sunt proditores, et damnabiliores Herode. Putas, quod dissimulando transeat, et non requirat Deus de manu tua, quod in concupiscentiis, et immunditiis tuis nobilissima ejus perit creatura? Ibid.

EXEMPLA SACRA.

Usus. — Cum omnis Christi actio, nostra sit instructio, haud immerito affirmari posse videtur, quod Christus ad legendum, Scripturasque Sacras explicandum, Synagogam ingrediens, insinuare nobis voluerit, se pro stabilimento et incremento ejus, bonorumque morum Ecclesie suæ, cuius Synagoga figura erat, de sacris prospexisse voluminibus, suoque exemplo ad eorumdem lectionem non invitasse. MANSI, tr. XLV. disc. 1, n. 1.

B. Virgo quando legatum illum cœlestem excepit, qui Verbi incarnationem eidem annuntiavit, lectioni prophetiæ Propheta Evangelicæ actualiter intenta erat, unde ad eam se convertens S. Augustinus inquit: Revolve, o Maria, Prophetiam lectionem, que ipsam plenitudinem paritura est Prophetarum; recule in libro Isaie Virginem, quam legisti, et gaude, quia tu esse meruisti. S. AUG. s. XXI. de Nat. B. V.

Novi, inquit Barry, quemdam e Societate nostra, qui ante mortis articulum affirmavit, se nihil unquam aut legisse, aut audisse de rebus gestis Sanctorum, quod non aliquoties in vita conatus fuisset exercere, eo modo, quo vitæ suæ conditio tolerasset. In *Remarques sur le dessin du livre*, § 2.

Tractarunt alii divinarum rerum lectionem solertius fortasse, suntque ob eam rem majus nomen adepti, sed qui Hilariem reli-

giosius fecerit, fuit (ut fertur) nemo; quippe qui Davidicum carmen et prophetica aliorum scripta tanquam præsentem Numine recitabat; sepe ac multum testatus, religiose et considerate ea esse legenda, que ab almo Spiritu profecta. BAPT. FULG. lib. VIII.

Quanto tutius servulus vir medicus, æger, omnisque litterariæ disciplinæ adhuc expers, qui ex medicata pecunia sacrarum litterarum mercatus est opuscula, que aliis sibi explicanda tradidit, usque adeo lectioni intentus, ut audiendi assiduitate curaque et diligentia percipiendi ea, que legerentur sanctionis doctrinæ gnarus, oppidoque sciens evaserit. Ibid.

Cæcilia patricia domo Romæ orta, sedulo Evangelicæ historiæ librum aut legit, aut in gremio habuit obvolutum, ne non semper presto esset, in quo mens cœlo addicta cum vellet, velut contenta quodam suavique harmonia reficeretur. Ibid.

Magnum studium magnusque studii affectus fuit in Marcella nobili Quirili generis; que cum incredibili cura divina lectitaret, illud est postremo assequuta, ut semper in ejus ore Davidicum illud esset: Abscondi in corde meo eloquia tua. Ibid.

UTILITAS. — S. Augustinus hæresi Manichæorum imbutus, et fidei Catholice inimicus, ad perfectam Dei notitiam illis fidelis, *Tolle, lege*, inductus, tandem, ut ipsemet dicit: Arripui, aperui, et legi, quasi luce serenitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ ceciderunt. Mox enim, ut Epistolas Sancti Pauli legere cepit, aliquod animæ suæ lumen communicari sensit, cui cooperando, illos postea sapientiæ fulgores sibi acquisivit, quibus eum universam illuminavit Ecclesiam. S. AUG. l. VIII. *Confess.* c. XII.

Eunuchus Regine Candacis, cum non haberet sive Christi, sive novæ Legis Evangelicæ notitiam, ac proinde Spiritus Sanctus eum per S. Philippum Diaconum* in hæc erudiri volens, disposuit, ut actualiter lectioni Isaie Prophetæ se applicaret. Quam historiam idem D. Chrysostomus ponderans ait: Cum nondum haberet, qui viam commonstraret, tamen legebat, eoque citius consecutus est ductorem. Novit propensam illius animam Deus, studiumque amplexus est, misit illi Doctorem illico, verum non adest Philippus, sed Spiritus, qui monuerat Philippum, adest. S. CHRYS. apud Mansi, disc. II, n. 5.

S. Justinus Martyr de semetipso, in dialo-

go contra Triphonem, refert, quod, cum ad huc Philosophus gentilis existens, antiquorum doctrinis deceptus, in Sacra Biblia incidisset, eaque assidue pervolveret, ab ejus mente et intellectu omnes infidelitatis tenebræ fugatæ fuerint, lumenque et notitiam veri Dei sibi acquisierit. BAR. ann. 130. c. v.

Victorinus, celebris illius sæculi orator, in cuius etiamnum viventis honorem, Romæ publice erectæ fuerint statue, ut Sanctus Augustinus in suis *Confessionibus* testatur, postquam prius in infidelitatis præcipitiis obrasset, tandem sacrosanctis libris pervolutatis, ejusque intellectu ab æternæ veritatis luce illustrato, victas dans manus, per sacrosanctum Baptismi lavacrum, sub Christi vexillo conscribi se fecit. S. AUG. l. VIII. *Conf.* cap. 4.

De S. Eugenia similiter legitur, quod, cum antea Philosophiæ operam dedisset, tandem in Epistolas S. Pauli incidens, ejusque dogmata in illis legens, intellectu suo ita eis adhæserit, ut cognita idolorum falsitate, acquis se ablucri Baptismalibus, tandemque pro fidei confessione suam in tormentis sanguinem prostituerit et vitam. MANSI, l. c.

S. Donna Virgo infidelis, primaria superstitionum idololatricarum præbytera, ut annales perhibent Ecclesiastici, pariter ad Christum conversa fuit, per Actum Apostolicorum lectionem. Unde postmodum in dogmatibus Evangelicis a Sancto Cyrillo Episcopo Nicomediensi instructa, et simul cum Eunuchis quodam in sacrosancto lavacro regenerata fuit. Immo sanctorum librorum lectio ita in eam illuminavit, calefecit, atque inflammavit, ut ea, que in Actibus Apostolicis legerat, imitari certa, totam substantiam suam, inter pauperes distrahendam, ad dicti Episcopi pedes delatit. Mortuo autem sancto Episcopo illo, in locum ejus substitutus fuit Antimus, tempore cuius inde Eunuchus (hoc namque illi nomen erat,) et dicta Donna, eo quod Christiani essent, delati sunt; quare Præfectus cubiculum illius ingressus, opes inquirere cepit, sed delusus, nil nisi figuram reperit Crucis a fidelibus asservari solitam, librum Actuum Apostolicorum, duas super pavementum explicatas stareas, thuribulum fictile, lucernam et pyxidem ligneam, in qua sanctissimam asservabat Eucharistiam, ut juxta sæculorum illorum consuetudinem,

ferocente persecutione se ipsam communiaret. Ecce vobis admirabilem ex codicum sacrosanctorum lectione hauritum fructum, Vere equidem in presenti verificatum fuit illud Palmista dictum: « Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. » Immo non modo veri Dei notitiam et lumen libri illius lectio sancta isti attulit virgini, sed et insuper martyrii desiderio succendit. *Ban. an. 2.3, n. 1.*

Cum Sanctus Bonifacius codicem Evangeliorum secum portare solitus, eundem quoque ad martyrium contulisset, isque dum carnifex ense in caput martyris impingere moliretur, libri objectu ab ictu gladii se tueri pararet, illustri miraculo factum est (ut auctor quidam nostri temporis scribit) quod, licet ense peracuto per medium sectus sit liber, nulla tamen littera ea sectone sit abolita, quem ego librum in prænobili Fuldensi monasterio in Germania propriis oculis conspiciere merui. *Manch. in Horto Post.*

S. Dominici sanctitatem et perfectionem, illiusque principia et progressus, Bellovacensis Collationum Joannis Cassiani lectioni præcipue attribuit, dicens: Beatus Pater noster Dominicus, ut in ejus vita legitur, librum illum, qui *Collationes Patrum* inscribitur, studiose legens, ac vigilanter intelligens, salutis in eorinatus semitas, magnum perfectionis apicem apprehendit. *Bellov. l. XIX, Spec. c. XIV.*

Celebris quoque fuit modus ille, quo divina providentia usa fuit, ut Sanctum Ignatium de Loyola Ecclesie sue compararet, quod factum est per libri ejusdem spiritualis lectionem. Quod vero ad presentis materiae, de qua agimus, propositum vel maxime servit, est, quod lectio hæc animos in illo generosos excitaverit. Nam inter ipsam lectionem, ubi quippiam insigne cognoverat, sistere secum ipse coepit, deliberans: Quid si præclarum hoc Sancti Dominici facinus? Quid si hoc Sancti Francisci Deo fretus aggredior? Neque vero, cum hæc et alia sibi multa proponeret, res occurrebat ulla tam ardua, tamque difficilis, quam non perficere sese posse generosa quadam alacritate confideret. *Mansi, disc. v. n. 7.*

B. Petrus Abbas in nocte Dominicæ Nativitatis, sequentem circa S. Hugonem Abbatem pariter Cluniacensem obtigisse refert visionem. Diabolus ab omnibus monasterii officinis propulsatus esse videbatur, ad quas fuerat molitus aditum; a Capitulo exclude-

batur, quia ibi Monachi suas circa disciplinam monasticam observantiam confitebantur culpas; exulabatur e Dormitorio, propter honestatis et vigilantie continuæ merita. In Refectorium quidem tentavit ingressum, ubi gula prædominari solet, sed etiam et inde maxima cum confusione proscriptus fuit. Ast in virtute ejus id factum fuisse putatis? Audite ipsamnot auctorem: Sed ibi etiam tot obices ex divinarum lectione librorum, tot trabes ex devotionibus audiorum, tot repagula offendit ex charitate sibi servitium, ut nullo modo ultra procedere prævalens, retro cogere redire. *Petr. Abbas Clm. l. I Mir. c. xv.*

In vita Sanctæ Franciscæ Romane legitur, cum Sancta hæc spirituales aliquos haberet libros, Demones in hoc sollicito incubuerunt, ut, si possibile foret, aliqua eorum folia resolveret et abjiceret; quin et alia quadam vice librum, quem manu continebat spirituales matrona sanctissima, a quem legebat, Spiritus nequam eidem auferre conati fuere. *Vita S. Franciscæ Romane. l. II. c. xv et xix.*

In actis Sancti Saturnini sequens legitur conspicuum miraculum. In medio foro civitatis Abitinensis coelum ipsum pro divinis Scripturis dimicavit; cum enim Fundanus, ejus urbis quondam Episcopus, eas Scripturas Magistratui exrendas tradidisset, et Magistratus sacrilegus jam igni apponeret, subito imber sereno caelo diffunditur, ignis Scripturis Sacris admotus extinguitur, grandines adhibentur, omnisque regio ipsa, pro Scripturis Dominicis, elementis furentibus devastabatur. *Suaris, 2 Febr.*

Equitius Valeriae urbis Monasterii Abbas, ne qua die deesset quod legeret, quocumque ibat scortas manicas libris referta secum deferrebat; nec illi oneris hujus molesta erat gravitas, dum lectionis sacra compensatur utilitas. Sic nec militem strenuum ferrea lorica, cassis, ensisque gravant, quæ sibi saluti fore sperat, ut qui his munitus in certamen prodire et confidenter cum hoste congressi solet; ita qui sese lectionibus divinis libenter instruit, omnia Diaboli machinamenta facile contemnit. *Ibid.*

Bernardinus, ejus prædicationibus Fratrem Minorum collegium crevit, primum quidem Pontificii juris disciplinis operam dedit; postquam autem ad Theologiam animo applicavit, ei studio se prorius totum tradidit, adeoque ipsum delectavit de Deo

sermo, ut mox relicto sæculo Religionem sit ingressus. Itaque jurisperitia virum quidem bonum constituit, sed Theologiæ ratio etiam perfectum reddidit. Altera neminem offendere docet; altera semetipsum quoque abnegare et Crucem tollere, et Christum sequi omnibus suadet, multisque persuadet. *Ibid.*

Basilius ille magnus cum primitus mundanæ Philosophiæ studiis plurimum delectaretur, uti deinde scientiæ spiritualis dulcedinem gustare coepit, illa contempsit, et huic soli se dedit, sunt, qui eum dicant, panis ac vini usum sibi interdixisse, donec mysteriorum intelligentiam plenius perciperet. Parum erat secularum sapientiam Divinæ postposuisse, duo præcipua vitæ humanæ sustentamenta, panem et vinum a se abdicavit, dum cibos colligit vitæ æternæ. Quorum suavitatem Propheta quoque admiratur, dicens: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine! *Manual. lib. II.*

DAMNUM PROFANÆ LECTIONIS. — Sanctus Hieronymus de seipso sic scribit: Cum ante annos plurimos domo, parentibus, sororibus, et quod his difficilius est, consuetudine lautioris cibi, propter eorum me regna castrasse, et Jerosolymam militaturus pergerem, bibliotheca, quam mihi Romæ summo studio confeceram, carere non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium jejunabam. Post noctium crebras vigiliæ, post lacrymas, quæ præteritorum recordatione peccatorum ex intimis visceribus fluebant, Plautus sumebatur in manus. Si quando in memetipsum reversus Prophetam legere copissem, sermo horrebat incultus; et quia lumen caecis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed Solis. Deum ita me antiquus serpens illuderet, in media ferme Quadragesima medullis infusa febris corpus invasit exhaustum, sine ulla requie (quod dictu quoque incredibile sit) infelicia membra depasta est, ut ossibus vis hærerem. Interim parantur exequiæ, et vitalis animæ calor toto jam corpore frigescente, in solo tantum tepente corpuseculo palpitabat, cum subito raptus in Spiritu, et tribunal Christi pertrahor, ubi tantum luminis erat, et tantum ex circumstantium claritate fulgoris, ut projectus in terram, sursum aspicerem non auderem. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi, at ille, qui præsidebat: Mentiris, ait; Ciceronianus es, non Christianus, ubi enim

thesaurus tuus, ibi et cor tuum. Illico obtulit, et inter verbera (nam cædi me jussærat) conscientia magis igne torqueretur, illum mecum versiculum repetans: In inferno autem quis confitebitur tibi? Clamare tamen coepi, et ejulans dicere: Miserere mei, Domine, miserere mei! Hæc vox inter flagella resonabat. Tandem ad præsentis genua provoluti, qui asilerant, precabantur, ut veniam tribueret adolescentiæ, et errori locum penitentia daret, exacturus deinde cruciatum, si gentiliū aliquando litterarum libros legissem. Ego qui in tanto restrictus articulo vellem etiam majora promittere, dejerare coepi, et nomen ejus obtestans, dicere: Domine, si unquam habuero codices seculares, aut si legero, te negavi. In hæc sacramenti verba dimissus revertor ad superos, et mirantibus cunctis, oculos aperui, tanto lacrymarum imbri perfusus, ut etiam incredulis fidem facerem ex dolore. Nec vero sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe deludimur. Testis est tribunal illud, ante quod jæci; judicium testis, quod timui; ita mihi nunquam talem contingat incidere questionem, nam fateor vulneribus habuisse plenas scapulas, plagas sensisse post somnum, et tanto dehinc studio divina legisse, quando mortalia ante non legeram. *S. Hier. in Reg. mon.*

Sophronius sequentem narrat historiam: Abbatem Cyriacum die quadam juxta Jordanem convenientes, hæc ab ipso accepimus relatum visionem; viderat enim Abbas ille in somno mulierem quamdam in vultu honestissimam, purpura amictam, atque ex utroque latere a duobus præclaris viris stipatam, quorum unus S. Joannes Baptista, alter vero Sanctus Joannes Evangelista erat. Egressus igitur et cella, instatur ab ea petii, ut ingrederetur, sed invitamentum me repulit; dum vero preces meas sollicite repelens, dicebam: Ne, queso, avertatur humilis factus confusus! Ipsa ferventem supplicantis affectum videns, vultu ad severitatem composito respondit: Habes intra cellam inimicum meum, et vis ut ingrediar? Et his dictis abscessit. Ego vero animo afflictio, intra me ipsum discurrere coepi, quoniam peccato hæc repulsam comeri, non me accusat conscientia alicujus contra ipsam commissæ transgressionis, certusque sum in cella mea neminem præter meipsum reperiri; demum vero diligenti circa me ipsam facto examine nihil inveni, quod ip-

sam potuisset offendere. Sed quo putatis ipsum consilio usum fuisse, ut se consolaretur? Nimirum sciens in libro I. Machabeorum scriptum esse: « Habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris; » ad illos Sanctus Abbas recurrens, pro consolatione afflicti animi librum quemdam spirituales legere cepit. Quid autem inde consecutum fuerit, ex propriis eius verbis percipere libebit, dicit enim: Cum ergo vidissem me nimio morore absorberi, surgens copii librum, ut legerem, ut per huiusmodi lectionem dolorem meum, cogitationesque repellerem. Librum autem illum nutuo acceperam a D. Hieschio Presbytero Jerosolymitanae Ecclesiae, evolvensque librum, inveni duos Nestorii libros in fine voluminis scriptos, moxque agnovi hunc esse inimicum illum Sanctæ Domini nostri Genitricis semper Virginis. Tunc surgens abii, librumque illum ei, qui mihi accommodaverat, reddidi, dicens illi: Accipe librum tuum, frater, neque enim ex eo tantum utilitatis accepi, quantum detrimenti. Cum vero ille detrimenti ipsius causam seiscitaretur, omnem illi rei ordinem retuli, qui zelo succensus, protinus illos duos Nestorii libros ex volumine præcidit, eosque igni traddidit, dicens: Non manebit in cella mea Domine nostræ Sanctæ Dei Genitricis semper Virginis inimicus. *BARON. ann. 529.*

Sanctus Ignatius quoque fervores suos intepescere sensit, quando Barcinone Grammaticæ studiis intentus erat, cumque cui causæ tepor illi adscribendus esset, ignoraret, tandem unicam huius tepiditatis causam esse advertit, quia videlicet Erasmus de Milite Christiano manibus tenebat, idque ob tersam libri latinitatem, ex Confessarii sui consilio pariter et licentia. Quod cum simpliciter fecisset, observavit illius libelli lectione refrigerare in se Spiritum Dei, et devotionis sensim ardorem restinguere; quia re animaversa librum de manibus omnino rejecit, et ita est aversatus, ut nec amplius legerit ipsius auctoris libros, et passim a Societate nostra legi vetuerit; et tamen ille liber de Milite Christiano disserebat; sed licet materia pia esset, auctor tamen illius impius erat. *MANSI, disc. x, n. 2.*

EXEMPLA PROFANA.

UTILITAS. — Alcoranus Turcarum sub pena capitis, omnibus Turcis omne librorum genus prohibet; cuius ratio est, quia hoc modo omni superiori lumine et notitia, quæ a libris sacris et spiritualibus addiscitur, desituti, facilius se in tenebris ignorantiae positos, ad quævis præcipitia perducere permittant. *MANSI, disc. II, n. 8.*

Diogenes Laertius narrat, quod Zenoni oraculum consulenti, quomodo vitam suam ita dirigere posset, ut diis et hominibus in cunctis actionibus suis placeret, ab eodem oraculo responsum fuerit, hunc se finem assecuturum esse, si sæpe cum mortuis ageret, quorum verborum sensum hunc esse facile intelligebat, ut scilicet libros, quorum auctores ut plurimum mortui sunt, assidue pervolveret. *LAERT. in vita Zenonis, l. VII.*

DAMNUM. — Nabuchodonosor horrendo plane modo in belluinos mores transformatus fuisse legitur; Diocletianus prius corporis tabe, lingua vermibus corrosa, mentisque insaniam correptus vim sibi ipsi intulit; et Proculus, Genserici Wandalarum Regis minister, sibi frustulatum linguam dentibus lacerans, fœdæque morte sublatus est, eo quod sacra volumina flammis voracibus publice concremaverit. *MANSI, disc. III, n. 9.*

Henricus Octavus, Rex Angliæ, Dæmonis instinctu ab Ecclesia recedens, ut Religionem Catholicam tanto irreparabilius profli-garet, Carthusianos (qui veluti validum quoddam propugnaculum, ad eandem fidem defendendam, superstites remanebant) pariter seducere volens, primo quidem non blandimentorum usus est lenociniis, non stragibus, nec exiliis, vel aliis similibus persecutionibus, non bonis temporalibus eos destituit, nec in vincula coniecit, sed ut fidei integritatem ab illis quoque totaliter eradicaret, omnes libros sacros illis auferri præcepit, firmiter sibi persuadens, quod hoc thesauro illis erepto, excellentissima quoque fidei margarita pariter eripienda foret. Hac tamen librorum rapina non contentus, plurimis postea vitam crudelissime eripuit. *Idem, dis. XVI, n. 11.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut famem sentire, bonæ

valetudinis corporis incidium est; ita divinos sermones studiose, libenterque audire. Et sicut in legendis rosis sentes vitamus; sic in talibus sermonibus, quidquid est utile, carpentes, noxium vitamus. *Ibidem.*

Sicut David Goliathum quinque lapillis e torrente sublatis, eodem modo, inquit Villanovanus, Christus Dæmonem tribus auctoritatibus superavit. Eadem quoque comparatione Glossa his verbis utitur: David Goliathum tribus lapidibus e torrente prostravit, et Christus Diabolum tribus testimoniis de lege. David lapides e torrente selectos in peram suam pastoralem reponit; ita quoque Christianus in lectione librorum spiritualium seligere debet orationes jaen-latorias et dogmata utilia, eaque in mente et memoria sua reponere, ut in obviis occasionibus, tentationibus infestatus, presumptuosum illum et superbum Gigantem prosternere valeat. *MANSI, disc. XVI, n. 1.*

Sicut nervi animæ sunt orationes; ita pariter nervi, per quos oratio subsistit, sunt libri spirituales, eorumque lectio, et forsitan id ipsum affirmare voluit Basilus Magnus, quando ad Nazianzenum ita scripsit: Jam vero orationes lectionibus succedentes, recentiore animo, vegetioremque accipiunt; cum enim lectio orationem præcedat, hæc ab illa novos et vigorosos sortitur spiritus. (*S. BASIL. ep. II, ad Naz.*) Unde Cardinalis Turrecramata de lectione sacra inquit: Valet ad vires replendas.

Sicut una et eadem species Manna aliis vermes et putredines generabat, aliis vero salubrem cibum conferebat, et vitæ necessarium; ita et nostrum Manna est verbum Dei, et apud nos sermo Dei, aliis efficitur ad salutem, aliis ad penam. *ORIGENES, tom. IX, in Num.*

Sicut aqua impetose decurrens, terram non fecundat, sed potius semen suffocando, sterilem efficit; ita quoque multorum librorum præpropera lectio, absque reflexione ulla facta, non fecundat animam spiritu et devotione; imo quandoque eam opprimit et confundit. *MANSI, disc. XVII, n. 7.*

Sicut florum, reliquis quidem usque, ad odorem vel colorem, est usus, apes autem mel ex ipsis excerpere noverunt; sic et qui diligentes in legendo existunt, non solum quod dulce, jucundumque fuerit, in eorum libris prosequuntur, sed quamdam ex eis utilitatem animo referre contendunt. *S. BASIL. hom. XXII.*

Sicut apes non omnibus floribus similiter insident, neque ex eis, ad quos accedunt, omnia auferre conantur, sed quantum ipsis ad opus necessarium fuerit, comprehendentes, reliquum dimittunt; sic nos etiam ut sobrii, sapientesque, quantum congruum

nobis, propinquumque veritati ex ipsis fuerit, persequamur, reliquum prætereamus. Et sicut in legendis rosis sentes vitamus; sic in talibus sermonibus, quidquid est utile, carpentes, noxium vitamus. *Ibidem.*

Sicut David Goliathum quinque lapillis e torrente sublatis, eodem modo, inquit Villanovanus, Christus Dæmonem tribus auctoritatibus superavit. Eadem quoque comparatione Glossa his verbis utitur: David Goliathum tribus lapidibus e torrente prostravit, et Christus Diabolum tribus testimoniis de lege. David lapides e torrente selectos in peram suam pastoralem reponit; ita quoque Christianus in lectione librorum spiritualium seligere debet orationes jaen-latorias et dogmata utilia, eaque in mente et memoria sua reponere, ut in obviis occasionibus, tentationibus infestatus, presumptuosum illum et superbum Gigantem prosternere valeat. *MANSI, disc. XVI, n. 1.*

Sicut pictiores industrii, cum ex imaginibus imagines ad unguem, ut dicitur, exprimere nituntur, frequenter ad exemplar aspiciunt, lineamenta ex illo omnia ad suam artem summo opere transferre molientes; ita ei, qui se cupit omnibus partibus esse virtutis ornatum atque perfectum, tamquam ad statuas quasdam animatas ac mobiles, jugiter in Sanctorum vitas et mores intendendum est, illorumque probos actus sibi consciscendum, per imitationis studium. *S. BASIL. ep. de Forma, honeste vitæ.*

Sicut ferrum, nisi usum habuerit, erugine non generat; ita et anima, nisi divinis exercetur lectionibus, nascuntur illi peccata. Hinc est, quod Psalmista hunc dicat beatum, qui die nocteque legem Domini meditatur. *S. AUG. XXII, ex utroque Test. qu. cxx.*

Sicut columbæ juxta fluentia residere solent, ut volatilium avium in aqua umbram videant, et sic ungues vitant; sic Sancti in Scriptura fraudes Dæmonum prospiciunt, et ex deceptione, quam attendunt, quasi ex umbra, hostem cognoscunt, et fugiunt. *Glossa, in c. v. Cant.*

Sicut in dura hyeme Monachi libenter vadunt ad calefactorium; ita viri sancti frigore huius mundi durante, stant libenter juxta libros, ut illos legendo et audiendo calefiant in amore celestis. *S. AMBR. apud Mansi, dis. LIX, n. 5.*

Sicut in carnalibus escis alitur caro; ita ex divinis lectionibus homo nutritur, et pascitur. *S. AUG. s. 112 de Temp.*

Sicut qui mittit in os suum fragmentum panis, aut qualemcumque cibum, primo molit eum dentibus, et ita demittit in stomachum; sic et cum audimus omne verbum (dicamus nos, cum legimus) necesse est ipsum meditari in ore sensus, et quasi quibusdam dentibus, id est, tractatibus molere, et videre, quid est, quod dicit, aut propter quam rem dicit. Nam quemadmodum qualemcumque cibum nisi masticaverimus dentibus, non sentimus saporem ejus; ita et verbum, nisi masticaverimus, ipsum tractantes in nobis, non possumus intelligere virtutem verbi illius. *AUTHOR OP. IMPERF. HOM. XL.*

Sicut tuba sonans congregat milites; sic et divina Scriptura ad nos clamantes, cogitationes nostras congregant ad timorem Dei. Quemadmodum enim tuba, belli tempore sonans, strenuorum militum alacritatem in adversarios excitat; ita et divina Scriptura te promptiorem ad omne opus bonum reddunt, teque adversus improbas passiones ac vitia magis animant corroborantque. *S. ERN. de Pat. et Consum. sac.*

MOTIVA.

Quia utilitas ingens oritur ex hac lectione, quam Cassiodorus sequentibus verbis indicat: Modo Charitatem Dei et proximi monet; modo, ut sæculi peritura contemnas, insinuat; modo ut illam patriam recorderis, in qua es perpetuo mansurus, infundit. Patientiam monet, spem tribuit, humilitatem proficuum laudat, superbiam ruinosa semper accusat, pias eleemosynas creberrime fieri persuadet. CASSIODORUS, apud Mansi, disc. i, n. 2. S. Chrysostomus quoque ait: Merito thesaurus confertur divinarum Scripturarum lectio; nam sicut ex illo, quisquis vel parvum fructum capere vellet, multas sibi parat divitias; ita et in sacra Scriptura, etiamsi in brevi dictione, varias sententiarum vim, et immensas divitias invenire licet. S. CHRYS. hom. III in Gen. Recte ergo Cassiodorus ait: Libros sacros vocavit utilitatem Christianorum, thesaurum Ecclesie.

Quia in specie utilis est ad perfectionem obtinendam, ut Turrecremata indicat, dicens: Ceterum ad perfectionem conversationis, quo festinant, sunt doctrinae sanctorum

Patrum. Horum enim verborum hunc dicit esse sensum: Doctrinae sanctorum Patrum sunt, in quibus legendum est, et a quibus exempla sumenda sunt ab his, qui ceterum, id est, ad majorem perfectionem conversationis festinant, quarum scilicet doctrinarum observatio perducit hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo divine auctoritatis veteris ac novi Testamenti non est certissima norma vite humana? *TURREC. in Reg. S. Bened. c. LXXXIII, tr. 478. Id quod brevis S. Thomas quoque indicavit, dicendo: Effectus hujus Scripturae est duplex, scilicet quia docet cognoscere veritatem, et suadet operari justitiam. S. TH. in II Tim. c. III. S. Bonaventura ob quatuor fines concessam nobis sacram Scripturam docet. Primo, ad gratiam commendandam. Secundo, ad introducendam fidem. Tertio, ad reserandam sapientiam, quæ solum est ista. Quarto, ad restaurandam salutem, quæ in illa solummodo est, et in nulla alia scientia est salus. S. BONAV. s. XIV. Hexameron.*

Quia utilis est ad optima consilia danda; uti Alphonsus, Rex Aragonia, indicavit, dicens solitus, optimos Consiliarios esse mortuos, libros videlicet designans, a quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet fideliter audiret. ANT. PANOR. l. III, c. 1. Unde Theophilactus: Quocirca, ait, si velis perfectus esse, et sanus, neque in tristibus contractus, has habe consultrices, scilicet litteras sacras; ad imitationem Machabeorum, qui licet undique ab inimicis premerentur, nihilominus gloriantes dicebant: « Summo habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris. THEOPHILACTUS, II Tim. c. III. Quam eandem lectionis sacre proprietatem et D. Chrysostomus in quadam super Genesim homilia adducit, dum ait: Vidisti, quomodo quancumque calamitate humanam naturam premente, conveniens ex Scripturis antidotum accipere liceat, ut omnis vitia hujus repellatur anxietas.

Quia utilis est ad Demoniis insidias cognoscendas et effugiendas; nam, ut iterum Turrecremata dixit, talis lectio est sicut alveus, per quem fluit aqua, in qua solent resultare imagines avium rapacium; et ideo viri sancti libenter legunt in libris sanctorum, ut intuentes in eis fallacias Demonum, melius caveant. TURRASC. in Reg. S. Benedicti c. IV or. 41. Hinc S. Bernardus quoque dicere solitus est: Lectio et oratio sunt arma, qui-

bis Diabolus expugnatur. *S. BER. s. 30 ad Soror.*

Quia utilis est ad animam reficiendam; uti S. Ambrosius advertit, dicens: Negligit famem corporis, qui pabula lectionis intendit; nec ventris curam habere poterit, qui alimentum verbi cælestis acquirit; ipsa est enim refectio, quæ saginat animam, quæ impinguat viscera, cum de divinis Scripturis cibum eloquii perennis accipimus. Ipsa est esca, quæ vitam æternam tribuit. S. AMBR. l. XXXV de Jejun. Domini. Similiter S. Isidorus Pelusiota divinarum Scripturarum lectionem vitæium esse dicit, quo in hoc præsentis vitæ ad patriam cœlestem instituto itinere sustentamur. Ita enim scribit: Sacrarum Scripturarum lectionem salutis vitæium esse existimat, ut, quæ eorum, qui eam studiosè et diligenter audiant, probitatis amorem, ac virile robur, præclaris ac illustribus exemplis pascat. S. ISID. l. III, ep. LXXIII. Quod ipsum etiam Origenes confirmans ait: Si ad Ecclesiam frequenter venias, aurem litteris divinis admoveas, explanationem mandatorum cælestium capias, sicut cibus et deliciis caro, ita spiritus verbis divinis convalescet, et robustior effectus, carnem sibi parere coget, ac suis legibus obsequi. Nutrimenta igitur spiritus sunt divina lectio, orationes assidue, sermo doctrinae. His aliter cibus, his convalescit, his victor efficitur, quod quia non facitis, nolite conqueri de infirmitate carnis. ORIGEN. hom. VI in Lev. Hinc recte Hugo de S. Viet. monet: Quoties nobis divina Scriptura legitur, aut exponitur, cogitare debemus, quia esca spiritualis est, quæ a Deo nobis mittitur ad reficienda corda nostra.

Quia utilis est ad spirituales colloquia instituenda. Hinc S. Ambrosius monet: Et ideo divinas lectiones tali desiderio et legere, et audire debetis, ut de ipsis in domibus vestris, et ubicumque fueritis, etiam loqui, et alios docere possitis; et verbum Dei velut munda animalia cogitatione assidua ruminantes, utilem sucum, id est, spiritualem sensum et vobis sumere, et aliis Deo auxiliante propinare possitis, ut in vobis impleatur illud, quod scriptum est: « Et calix meus inebrians, quam præclarus est! S. AMBR. s. 25, in die Cinerum.

Quia libri sacri et spirituales, sunt Epistolæ et locutio Dei, uti S. Gregorius innuit, dicens: Imperator cœli, Dominus Angelorum

et hominum pro vita tua Epistolæ suas transmittit, et tu illas ardentè legere negligis? Quid est enim sacra Scriptura, nisi quedam Epistola omnipotentis Dei ad suam creaturam? *S. GREG. l. IV, ep. LXXXIV. Hinc et S. Ephrem dixit: Gloriantur alii de Magnatum, Principumque ac Regum familiaritate et colloquio; at tu coram Angelis Dei gloriare colloquens, et cum Spiritu S. per sacras litteras conferens, nam Spiritus S. est, qui loquitur per eas. S. ERN. de Patient. et Consum. sac.*

*Quia variis habet prærogativas præ concionum auditione. Nam 1. libris sacris Scripturae per veritatem infallibilem assistit Spiritus Sanctus quibus tamen assistentia, quoad eos, qui verbum Dei viva voce annuntiant, adeo certa non est. Etenim non de sacrarum litterarum interpretibus et commentatoribus, sed scriptoribus vel auctoribus S. Gregorius ait: Scriptores sacri eloqui, quia repleti Spiritu Sancto super se trahuntur, quasi extra semetipsos fiunt; et sic Dei sententias quasi de ab his proferunt. *(S. GREG. Profet. in Job. c. XXIII.) 2. Non facilem adeo cum prædicatoribus verbi divini, quantumcumque exemplaribus et spiritualibus, ad bona illorum exempla apprehendenda, conversandi, nancisci possumus occasionem; aut enim solitudinem amant, aut in contemplativa occupantur, vel aliis corporalibus et spiritualibus vacant misericordiæ operibus. Hæc igitur librorum bonorum est prærogativa, quod eos tempore nobis quoque beneplacito pervolvere possimus; quodque dum nobis maxime arridet, cum sanctis eorum auctoribus converserem, horumque imbibamus spiritum et devotionem, v. g. S. Hieronymi, S. Bernardi, S. Augustini, S. Gregorii, aliorumque similium. *(MAXI, disc. x, n. 3.) 3. Concio ut plurimum nullam in auscultante, quando is distractus est, affert fructum; interea namque totum, quod dicitur, præterit et evanescit, quantumcumque cum spiritu et energia veritatem inculcare nitatur prædicator, præterquam quod labilis sit auditoris memoria, vel etiam minime accordat dispositus ad divinum illud in cordis sui terra radicandum semen; cum tamen e contra doctrine affectus, maxime pietatis Christianæ, veritates æternæ, ad placitum nostrum in chartis, quæ non prætervolant, indelebiter reperiantur impressæ. Unde Quintilianus ait: Lectio libera est, nec actionis impetu transcurrit, sed repetere sæpius***

licet, sive dubites, sive memoriæ penitus affigere velis. *Quint. Inst. Or. LXXI, c. 1.* Hinc et Gillibertus Abbas sapienter dixit: Bonum est, si scribantur verba, volat enim irrevocabile verbum, nisi scripto mandetur. Scriptura verbum et stabile facit, et visibile. Mandatum paginæ reposectur, cum voles. Bonus depositarius est liber, integre, quod acceperit, resignans; cum voles, sumes; ubi voles, leges; quamdiu voles, moraberis. Scriptura memoriæ reparatrix est, quia verbi representatrix est. Tuto verbi medicamenta illic condidit, servantur enim illæsa. Si verbum medendi vim habet, cum dicitur; cur non habet, cum legitur? Si bona curatio, cum dicitur; cur non bona, cum legitur? (*GILLIBERTUS ABBAS, s. XLVII in Cent.*) 4. Quod prædicatores magistros spirituales, exhortationes et conferentias sacras viva voce factas in nostro non habeamus arbitrio, siquidem hæc omnia tempus, et locum, congregatio-nesque illis præscriptas habent, non vero libri, quos quovis tempore, et ubicumque nobis placet, cum attentione et profecto legere possumus, ipsi docebunt te, loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia. (*MANSI, VI, c. n. 6.*) 5. Libri omnium libertate et indifferentia, deposito omni timore et humano respectu, eos, a quibus leguntur, reprehendunt et corrigunt; cum tamen ex alia parte per experientiam videamus, quod viris etiam zelosissimis nonnumquam animus desit, ut alios, et maxime personas in dignitate positas, earumque scandala et iniquitates, velut alter quidam Joannes Baptista, sermone perstringant. Hinc libri speculo comparantur, quod unicuique sine adulatione, omnique cum fidelitate et sinceritate proprios faciei defectus patefacit, dummodo illud inspiciat. (*ib. n. 7.*) 6. Verbum Dei prædicatum alteri quoque subjacet incommodo, cujus libri sacri et spirituales sunt expertes, videlicet defectibus eorum, qui illud annuntiant. Nam, ut Cassianus ait, numquam erit efficax instituentis auctoritas; nisi eam effectum operis sui cordi infixit audientis. In dubium nequaquam revocari potest, quin, quod Sanctus Hieronymus, v. g. S. Bernardus, vel S. Augustinus, aut alii SS. Patres et Scriptores in libris suis tradiderunt, ipsimet operibus suis strenue fuerint executi. Hanc autem certitudinem in iis, qui prædicant, minime habemus, imo cum summo Ecclesiæ malo sæpe numero experimur, quod bene quidem verbum Dei prædicent,

et tamen pessime vivant. *Cassianus, Coll. XI, c. iv.* Optime proinde S. Isidorus Pelusiota ait: Vita sine sermone magis prodesse solet, quam sermo sine vita; nam illa etiam tacens prodest, hic autem etiam clamans molestiam adfert. Libri vero prædicatores sunt muti pariter et loquaces, quia ad cor nobis loquuntur: Loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia. Imo libros spirituales legentibus non jam libri, sed ipsemet Deus libris tamquam instrumento utens prædicat, et ad virtutem et profectum illos excitat. (*S. ISID. I. II, ep. cclvii.*) 7. Prædicatores nonnumquam plausibilibus magis student conceptibus, ostentationi ingenii, faciundie, memoriæ, et doctrinæ, magis ut auditoribus placeant, quam ut spirituali animarum profectui deserviant, adversus quos Gillibertus Abbas calumniam suam his verbis exauit: Student magis alta, quam apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes. Ex libris autem unusquisque eligere potest illos, qui suæ sunt proportionati capacitati, magisque proficui; libri quoque de vanitate vel applausu suspecti non sunt, sed veritatis et devotionis sunt instrumenta. Præterea ex prædicatoribus multi sunt, qui potius ob interesse proprium, quam ob salutem animarum, prædicationi vacant. Contra quos Hugo Cardinalis, ad illa se reflectens verba Numerorum, 8. *Sume tibi duas tubas argenteas*, ita scribit: Prima tuba est verbum prædicationis, secunda est exemplum boni operis. Tuba per quam designatur prædicatio, non resonat nisi vacua; et prædicator debet esse vacuus per rerum terrenarum neglectum. Tales autem prædicatores sunt libri, qui aliud interesse non habent, præterquam animarum nostrarum salutem. *GILLIBERT. ABBAS, s. XLVII in Cent.* D. Chrysostomus postquam vanos rejecisset auditorum applausus, tandem prostabatur, dicens: Mea laus est, et summus plausus, si quis a vitiiis ad virtutem convertatur. *S. CHRYS. h. lvi in Gen.* Hunc autem finem libri sacri infallibiliter assequuntur, de quibus proinde S. Bernardus ait: Per lectionem vita destruitur, et virtutes in anima nutriuntur. *S. BERN. s. I, de Modo bene viv.*

MEDIA.

Ad Lectionem utiliter peragendam.

Oratio; hinc Dacrianus Abbas dicebat: Sicut patres testati sunt, utile est a lectione ad orationem seu meditationem transire, et rursum a oratione ad lectionem recurrere, ut, dum oratio lectioni, et lectio orationi laudabili vicissitudine succedit, tollatur fastidium, animusque velut recens ad opus propositum semper vigeat, et ex utraque fructus copiosior referatur. Et quid vetat, quo minus in ipsa etiam lectione breviusculas quasdam orationes subinde formes, et ad Deum per sancta desideria adspires? *DACRIANUS ABBAS, in Spec. Monach.*

Certis horis certe lectioni vacandum est; fortuita enim et varia lectio, et quasi casu reperta, non ædificat, sed reddit animam instabilem, et leviter admissa, levius recedit a memoria. Quapropter et Seneca moralis, a Bellovacensi citatus, in epistola 2. ait: Illud autem vide, ne lectio ista multorum auctorum, et omnis generis voluminum, habeat aliquid vagum et instabile; certis ingenii immorari, et innutriti oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Pauloque post adducit hanc similitudinem: Nihil æque sanitatem impedit, ut remedium crebra mutatio, distrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non possis, quantum habueris, sat est habere, quantum legas; fastidientis stomachi est, multa degustare. Citatque aliam quamdam ejusdem Senecæ epistolam, quæ est 45 in ordine, ubi ita scribit: Non refert, quam multos libros, sed quam bonos legas; lectio certa prodest, varia delectat. Varro ad Themidem inquit: Sic multi libros degustant, ut convivæ delicias, sed cito transcursum, citius labuntur. *BELLOV. I. II, Spec. c. xxxiii.*

Continuatim, et non saltando legere; sæpe enim intelligentia posterior dependet, ex primis, et quia sicut unoquoque opere curatur inveniri substantia; ita universæ doctrinæ et disciplina: novæ est negligentia. *TURBECH. in Reg. S. Benedicti. c. XLVIII.*

Eo affectu legere libros, quo scripti sunt; numquam enim ingredieris in sensum Pauli, donec usu bonæ intentionis in lectione ejus et studio assidue meditationis spiritum ejus

imbiberis. Numquam intelliges David, donec ipsa experientia ipsos Psalmorum affectus indueris. Siquæ de reliquis. *S. BERN. I. de Vita solit.*

Cum humilitate legere; nam, ut Mansi recte advertit: Intelligentia sacrarum litterarum humilibus promissa fuit, quia licet mysteria altissima et imperscrutabilia revelentur iis, qui divinis in litteris student, magis tamen eis, qui in assistentia divina confidunt. (*MAX. disc. XII, num. 2.*) Unde Salvator ait: « Abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis: » Et Thomas a Kempis monet, inquiri: Si vis profectum haurire, lege humiliter.

Bene vivere; uti monuit S. Athanasius dicens: Ad Scripturarum imaginem, verumque intellectum opus est vita proba, animo puro, et virtute, quæ secundum Christum est. Et paulo post subdit: Sine pura mente, et Sanctorum imitatione, nemo comprehenderit Sanctorum verba. Quemadmodum si quis intueri velit solis jubar, oculos plane detergit, atque in splendorem redigit, quantum potest ad ejus similitudinem, cujus conspiciendi desiderio tenetur, sese purificans, ut ita oculus sui lumini redditus, lumine solis contempletur. *S. ATH. I. de Incor.*

Ruminari lecta; uti Joannes Ximenes, Coadjutor e Soc. Jesu, facere solebat; hinc ad Lectionem se conferens dicebat: Eamus nunc ad ruminandum. Ovis enim nisi ruminaret, non pinguesceret. (*Vita Alvarez, c. XLV.*) Id ipsum etiam suavit S. Ambrosius, considerans preceptum illud a Deo populo suo electo traditum: « Omne, quod ruminat in pecoribus, comedetis, inquit. » Non ergo perfunctorie transeamus quæ legimus, ut tunc tantum, cum legimus ea, in memoriam eorum redire videamur, sed etiam, cum abest codex manibus, tamquam animantia, quæ probantur, et munda habentur in lege, etiam cum non pascuntur, ruminare consueverunt, ex semetipsis alimenta sibi recondita proferentes; ita et nos de nostræ memoriæ thesauro, de interioribus nostris ruminandum nobis pabulum spirituale promamus. (*S. AMBR. in Ps. cxviii.*) Hinc aliqui suadent, ut lectores columbam imitentur, quæ bibitura cœlum versus caput elevare solet, posteaque iterum bibere; ita et anima virtuosa, postquam libros devotos legit, aliquemque applicatione dignum ostendit sensum, mentem ad Deum elevat; oportet lecta meditetur, posteaque ad lectio-

nem redcat, quod ad propositum Sanctus Bernardus accomodat hanc adducit similitudinem: In omni scriptura tantum distat studium a lectione, quantum amicitia ab hospitio, socialis affectio a fortuita salutatione. (S. BERN. cap. vi, in *Cant.*) Quem eundem supervacaneæ circa multorum librorum lectionem applicationis abusum, Seneca pariter detestatur eadem similitudine, dum inquit: In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidit necesse est eis, qui nullius se ingenio familiariter applicent, sed omnia cursim et propteranter transmittunt. SENEC. ep. II.

ASCETICA.

*In primis laborare debet Asceta, ut dignum de S. Scriptura excellentiam estimationem concipiat, quem in finem serviet illi, quod SS. Patres pronuntiarunt, et specialiter S. Bonaventura, qui dixit: Liber Scripturæ est reparativus totius mundi, ad Deum cognoscendum, laudandum, amandum. (S. BOX. s. xiii, in *Hexamer.*) Sed S. Laurentius Justinianus: Sanctæ pagine, inquit, potissime bonitatem Conditoris commendant. Nostram voluit per has Deus erudire ignorantiam, informare fidem, spem solidare, ablaquare a visibilibus, et invisibilibus pascere. Procius totus cæcatus esse Mundus absque adminiculo Scripturarum, quæ confundunt errores, iniquis supplicia manant æterna, justique præmia pollicentur perpetua. S. LAUR. JUSTIN. de *Cast. Conub.* c. xiv. Singulariter vero hoc in genere notandum est, quod S. Thomas Villanova sapienter pronuntiavit, qui, cum ante dixisset: Ars artium est, servire Deo; suprema sapientia, scire bene vivere; si hanc nosti, etiamsi cætera nescias, sapientissimus es; qui hanc nescit, quidquid sciat, ignorantissimus est; hanc omnes Christiani profitentur. Quid enim aliud est Christianismus, nisi ars docens homines pie vivere, placere et servire Deo? Postea hæc verba subiungit: Nam hujus artis regulas et præcepta docet Evangelium et Scriptura sacra. S. THOM. VILLANOVA, conc. II, in *Dom. I. Quadrages.**

Nosse debet, quos libros præcipue tum ipse legere, tum aliis suadere debeat, quos quidem Nigronus ad tria revocandos putat, nempe ad S. Scripturam, quæ, sicut alios libros di-

gnitate et utilitate longissime antecessit, ita merito etiam præ reliquis suadenda est illis, qui capaces sunt; ad *SS. Patres*, de quibus loquebatur S. Philippus Neri, quando dicebat, legendos esse libros, qui a littera S incipiunt, in horum enim lectione pietas et devotio non solum non vacillat, sed magis stabilitur, et augetur; et tandem ad libros aliorum scriptorum, præcepta ascetica et exempla salutaria continentes, inter quos *Collationes* et *Vita Patrum* præcipue commendantur. Quid enim hæc aliud sunt, inquit S. Benedictus, nisi bene viventium et obedientium Monachorum exempla, et instrumenta virtutum? (S. BENED. in cap. vii, *Reg.*) Hinc ex eorum lectione S. Thomas Aquinas, Sanctus Dominicus, S. Fulgentius, S. Philippus Neri, Spiritum sanctitatis præcipue hausisse scribuntur. Sed et libellus de Imitatione Christi, a Venerabili Patre Thoma Kempensi scriptus præ reliquis commendari meretur. Est enim, teste Bellarmino, opusculum utilissimum, et iure in tota Ecclesia summo omnium consensu receptum, et frequentatum, et in omnes linguas conversum. Ego certe ab adolescentia, et usque in senectam hoc opusculum sæpissime volvi, et revolvi, et semper mihi novum apparuit, et nunc etiam mirifice cordi meo sapit. Georgius Mayr, nostræ Societatis, qui cum Græcum fecit, in omnes propemodum variarum nationum extra Europam ubique sparsarum linguas translatum esse affirmat. Qui Directorum exercitorum conscripserunt, tantæ estimant hunc librum, ut eum unum legi permittant ab eo, qui facit exercitia in hebdomada prima, quo tempore quævis alia lectio interdicatur. Ludovicus Pontanus, in vita Baltasaris Alvarez, tradit his verbis illius viri spiritualis de hoc libro magnam opinionem: Ejus sententiis frequenter utebatur in exhortationibus, eo quod cordi adhererant, Denique illas imprimat bono affectu legentibus. Et cum es- et visitator provincie Aragoniæ, fecit, ut in ea cognoscerent ejus libri usum, cujus emolumentum experientia illi perceperunt, inveniendes singuli, quæcumque ex parte eum aperirent, quod animæ suæ conveniebat. De eadem fortuita libelli hujus apertione et lectione cum aliquo spiritali proventus, extat item testimonium Hermanni Hugonis scribentis hæc verba: Multos dicere frequenter audivi solitos, se ex libello Thomæ a Kempis sic fortuita

lectione) querere in merore consolationem, neque fere unquam falli. Multa quoque de laudibus hujus libelli Henricus Sommalus noster in epistola dedicatoria illi præposita: Inter cætera, totius Christianæ Philosophiæ compendium eo contineri, non nisi parum po di displicere posse; non modo familiarem, sed etiam ducem vitam, ac magistrum esse oportere. Quod de M. Tullio Quintilianus pronuntiavit: Ille se profecisse sciat, cui Cicero valde placebit, dici posse verius de hoc auctore. Ille in perfectione religiosa se profecisse sciat, cui de Imitatione liber hic valde placebit. A viris Religiosis laudari hunc libellum rationabile est, sed valde mirum apud infideles in pretio esse. Narrat idem Henricus, quemdam ex ordine nostro navigasse redimendorum captivorum gratia, Argirium Mauritanie (quod oppidum Alger vulgo dicitur, estque piratarum Maurorum receptaculum mari Tyrreno infestissimum) ab Rege, qui Christianus fuerat, in Bibliothecam introductum; porrectos illi varios codices visendos, atque in his libellum hunc de imitando Christo vulgari Turcarum lingua conversum. Qui Rex illud adjecti memorabile: Pluris sese unicum illum facere, quam reliquos omnes Mahumetanorum. S. Ignatius noster, quod aliis suadebat faciendum, ipse præstabat, qui quotidie ante prandium caput unum ex hoc libello legebat eo, quo disposita sunt, ordine; post prandium alterum, quod fortuita codicis apertio dabat, inveniens in eo semper materiam statui presentii accommodatam. Traditum hoc est memoriæ posteriorum a Ludovico Gonzalez, qui Joannis III, Lusitanie Regis, rogatu, S. Ignatii vitam ac mores observaverat. In archivio Romanæ domus hæc observatio manuscripta conservatur. Addit Petrus Ribadeneira, eidem S. Ignatio placuisse adeo lectionem hujus libri, ut multorum judicio, vita ipsius facta esset imago viri doctrine libello in usum. *Apud Nigron. tr. Ascet. t. cap. III et IV.*

Nosse debet, quid de profanorum librorum lectione sentiendum sit, videlicet si solitaria principia moralia continent, posse eos licite et cum fructu legi; sic enim suadet in primis auctoritas multorum Patrum spiritualium, qui magni fecerunt Philosophorum de virtutibus doctrinam. De S. Basilio nihil attinet dicere, qui docet modum exprimende ex illis utilitatis. Quoties S. Hieronymus axiomata Philosophorum producit, ad pro-

bationem suarum conclusionum? Quoties S. Gregorius Nazianzenus, atque S. Ambrosius? S. Dorotheus in domesticis cohortationibus, tanquam apis argumentosa, dicta Philosophorum deerebat, atque discipulis porrigebat. Neque vero Patres antiquiores tantum id præstiterunt, sed etiam recentiores Magistri. S. Bernardus ad Fratres de Monte Dei, præcepta scribens vitam religiosam, monitum de viro gravi, sibi tanquam pedagogo et custode cogitatione constituendo, videtur a L. Seneca sumpsisse verba; item ejusdem Philosophi sua fecit, ubi disseruit de Lectione Spiritualium. Umberto pariter, Joannes Turrecremata, Ludovicus Granatensis, Seneca sententiis suos spirituales tractatus asperserunt, suadet illi ipsum deinde etiam fructus spiritualis, quem a se collectum e lectione Philosophorum moralium, Sancti viri testantur. B. Augustinus agens de lectione libri Tulliani, qui dicebatur *Hortensius*, et continebat exhortationem ad Philosophiam, inter alia multa, quæ de commotione animi sui ad amorem sapientiæ, et ejus immortalitatis, excitata per eum librum, hæc ait: Ille vero liber mutavit affectum meum, et ad te ipsum, Domine, mutavit preces meas, et vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes, et immortalitatem sapientiæ concupiscebam, aestu cordis incredibili, et surgere jam cõperam, ut ad te redirem. De Sancto Carolo Cardinali tres ejus vite scriptores, Augustinus Valerius Cardinalis, oculus testis; Carolus a Basilica Petri, Episcopus Navariæ, ac Joannes Petrus Glessianus tradunt, eum delectatum cum aliorum bonorum Philosophorum moralium doctrinam, tum præcipue Stoicorum sententia; lectitasse frequenter Enchiridium Epicteti, cum Cardinalis Romæ juvenis degeret, ejusque præcepta per id tempus observare visum. Horum librorum lectione atque studio favebatur se mirifice incitatum ad comprimendas animi perturbationes, ac perfectam ejusdem moderationem comparandam. Pudet Religiosum quemque, nisi factus vir effrons, attente considerantem documenta vite melioris, quæ de Philosophia morali petuntur, rationi non parere, quam Philosophi non pauci sine lumine Evangelii ducem ac magistrum sequebantur. Erubescit vir ingenuus ac perfectionis amans, legens heroiæ virtutum actiones quorundam Philosophorum, nec sinit se patientiâ inco-

modorum a Socrate, contemptione rerum humanarum a Diogene, studio paupertatis ab Epicteto, amore veritatis ab Aristotele superari. (Idem, *ibid.*) Quis vero modus in his auctoribus legendis sit observandus in simili lectione, prudenter indicavit Sebastianus Barradius dicens: Legendi quidem sunt Ethnicorum libri, non quidem lasciviae turpes, sed ii, qui aliquid utilitatis, non lasciviae, Christianis adferre possunt; quo autem modo sint legendi, Hieronymus docet, proposita similitudine ex Libro Deuteronomii, capite XXI, quo loco praecepit Dominus, ut captam in bello pulchram feminam, uxorem nemo ducere audeat, nisi prius caesariem raserit, ungues circumcidarit, vestemque in qua capta est, deposuerit. Idem in libris Ethnicorum faciendum; radenda sunt et explodenda multa, quae a Christiana fide vel castitate abhorrent, multaque circumcidenda inutilia. Audiamus Hieronymum: Quando, inquit, Philosophos legimus, quando in manus nostras libri veniunt sapientiae secularis, si quid in eis utile reperimus, ad nostrum dogma convertimus; si quid vero superfluum, de idolis, de amore, de cura saecularium rerum, haec radimus, hinc calvitium inducimus, haec in unguium morem ferro acutissimo desecamus. (BARRADIUS, l. III, c. XXXII.) Sed et Sanctus Franciscus Salesius ejusdem fuit sententiae, hinc scripsit sequens monitum: Et de historiis profanis quid dicam? Bonae sunt, an male? Bonae sunt utique, sed utendum est illis, quemadmodum fungis, id est, valde raro, et solum ad excitandum appetitum; et tunc quidem etiam convenit, ut bene sint digestae, et praeparatae, et, ut Sanctus Hieronymus ait, praecidendi sunt illis ungues et capilli, quemadmodum Israelitae mulieribus captis, quando eas in uxores accipere volebant, solebant facere, id est, totaliter accomodandae sunt Evangelio, veraque virtuti Christianae, auferendo ab illis, quidquid est reprehensibile actionum profanarum, hominum gentilium, et ut sacer Textus ait: « Separandum est pretiosum a villi. » S. FRANC. SALES. lib. I, *Epist. apud Mansi*, disc. XIII, n. 2.

Nosse debet, quis praecipue finis Lectioni hinc praefigenda sit, nimirum is, qui ab Aleuino indicatus est, dicente: Ille beatus est, qui duntaxat Scripturas legens, verba vertit in opera. (ALCUIN. I. de Virt. et Vit. c. v.) Hinc et S. Hieronymus hortatur:

Memineris, Dei illa verba esse, qui legem suam non solum sciri, sed impleri jubet. (S. HIER. *apud Mansi*, disc. XI, n. 3.) Quid enim prodest, inquit Sanctus Bernardus, lectione continua tempus occupare, Sanctorum gesta et scripta legendo transcurrere, nisi ea etiam masticando et ruminando, succum elicimus, et transmittamus? Certe, qui sacras litteras legit, neque quod legit, ad actionem confert, similis est ei, qui crebro seminat, metit nunquam; itemque mulieri, quae parit semper, sed natos illico sepelit; ut recte quidam contemplativus dixit. S. BERN. *de Schola claustr. apud Mansi*, disc. n. 10.

Nosse debet, quo ordine sibi subserviant lectio, meditatio, et oratio; quem quidem Sanctus Bernardus indicavit, dum dixit: Lectio quasi solidum cibum ori apponit, meditatio masticat et frangit, oratio saporem acquirit. (S. BERN. l. c.) Unde et alibi dicit: Sed et de quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriae dimittendum est, quod fidelis digeratur, et sursum revocatum crebrius raminetur, quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quod delineat animum, ut aliena cogitare non libeat. Idem, *de Vit. solit.*

*Nosse debet causas, quae fastidium creant lectionis, ut eas removere possit, quas breviter indicavit Hugo Victorinus, dum dixit: Lectio duobus modis fastidium ingerere solet, et affligere spiritum, qualitate videlicet, si obscurior fuerit; et quantitate, si prolixior extiterit, in quo utroque, magno uti moderamine oportet, ne quod ad refectioem quaesitum est, sumatur ad suffocationem. HUGO VICT. l. V, *Erud. didasc.* c. VII.*

Nosse debet, quid dicendum sit illis, qui obijciant, se non intelligere satis, quae legunt. Quem ad finem conducat, quod in vitis Patrum legitur, quod scilicet quidam Monachus apud Sanctum Arsenium conquirebatur, sibi sacrarum litterarum, quas et nosset et didicisset, intellectum perdificilem esse, et re ipsa experiri se, quod exilis admodum consolatio ex iis ad se redeat, eaque de causa animam suam vehementer turbari. Ad quae Arsenius: Fili mi, necesse est, ut magno cum ardore meditationi divinae doctrinae insistas. Audivi enim ex Abbate Porriano, alisque Patribus, quod serpentium incantatores ipsimet verba, quibus serpentes effascinant, non intelligant, serpentes autem audientes verba ea intelligant, eorum vim percipiant, eisque obediunt. Idem et

nobis faciendum est, etiamsi virtutem et efficaciam sacrarum litterarum plane non intelligimus, attamen virtutem verborum Diaboli percipiant, et fugantur.

MISCELLANEA ET CONCEPTUS PRÆDICABILES.

QUALITAS.—D. Chrysostomus considerans, quod Hebraei prima vice miraculosum et inusitatum Manna cibum videntes attoniti dixerint: « Manhu, Manhu? » id est, quid est hoc? ad nostrum profectum, sequentem inde eruit moralitatem: Ut quotiescumque audimus verbum, vel etiam quotiescumque legimus verbum, admoneat nos ipsum nomen requirere, quid est hoc quod audimus? vel quid est hoc, quod legimus? S. CHRYS. hom. XII, in *Math.*

Deus olim in Levitico, hoc populo suo divinum praeceptum imposuit: Omne quod habet divisam unguulam, et ruminat in pecoribus, comedetis; quia omnia in figura contingebant illis, ideo Philo Hebraeus illius praecepti declarans mysterium, Deum hoc praecepto insinuare voluisse dixit, non sufficere, ut cibus verbi Dei, quo nostra alitur anima, deglutiat, sed insuper necessum est, ut ruminetur ad hoc, ut in nostram convertatur substantiam, et alimentum. (S. BERN. *de Seal. Claustr.*) Unde et Diogenes Laertius, Philosophus moralis, de bonis libris per nos lectis agens, id ipsum pulcherrima haec confirmat sententia: Oportet ista animo potius, quam chartis inscribere. (DIOS. LAERTIUS.) Ast praeter omnibus veritatem hanc quam clarissime expressit D. Chrysostomus dum ait: Hortor, ut lectioni vacetis, sensus imbibatis; eosque vestris inscribatis mentibus, quod cum Judaei neglexerunt, libros manibus ferre jubebantur; nos vero non in manibus, sed domi habeamus, immo cordibus, ut oportet, inscribamus; hoc enim pacto absteris vitae praesentis sordibus, futura bona consequemur. S. CHRYS. hom. LII, in *Joan.*

UTILITAS.—Panis doctrinae sunt quinque verba, quibus tota Scriptura comprehenditur. Quae sunt haec? Crede, fuge, age, time, appete. Crede in Deum; fuge vitium; age bonum; time supplicium; appete praemium. Volo quinque verba haec sensu meo loqui. S. BEN. ser. III, in *Dom. 4. Quadr.*

Sapiens (Lector) teste S. Hieronymo,

TOMUS II.

numquam solus est, habet secum omnes, qui boni sunt, et fuerunt; et animum liberum, quocumque vult, transfert; quod corpore non potest, cogitatione complectitur, et si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo, nec unquam est minus solus, quam cum solus fuerit. S. HIER. in *Reg. Monac.*

Obtentu orationis (monet S. Isidorus) ne perdiseris lectionem, quia non semper eam quilibet paratam potest habere, cum orandi potestas in promptu sit, ne putes parvam nasei utilitatem ex lectionis auditu, siquidem oratio fit ipsa pinguior, dum mens recte lectione saginata, per divinarum rerum, quas nuper audivit imagines, currit. Nam et Maria, soror Marthae, quae sedens ad pedes Jesu, sorore neglecta, verbum intentius audiebat, bonam partem sibi elegisse Domini voce firmatur. S. ISID. l. I, *de Off. Eccl.* c. x.

Sapientissimus quidam aliquando dixisse fertur: Summa sapientia, loqui cum sapientioribus sine voce. Quo et Hugo Victorinus, ubi de Christianae disciplinae et scientiae sacrae profectu tractat, respexisse videtur, ait namque: Haec vero scientia duobus modis comparatur, videlicet exemplo et doctrina, utriusque autem honorum librorum studium et lectura optulatur: Exemplo, quando Sanctorum facta legimus; Doctrina, quando eorum dicta ad disciplinam nostram pertinentia discimus. HUGO VICT. l. V, *de Erud. didasc.* c. VII.

In Luciferi contra se insultibus, Salvator noster, ne succumberet, non una, sed trina vice sacram obiecit Scripturam. Hisque armis dexterrimis vitit, fugavitque inimicum infernalem: « Vade, Satana, etc. » tunc reliquit eum Diabolus. Certum vero est quod omnis Christi actio, nostra sit instructio; ac proinde a Daemone se tentari permisit, cuius virtus efficit voluit, sacros ei libros obijcendo, ut nos doceret, quod per horum librorum lectionem astuti serpentis evadere possimus insidias et infestationes. (MANSI, disc. XVI, n. 4.) Unde Cajetanus ait: Discamus hic omnes arma nostra esse sacras Scripturas. Cornelius Jansenius exinde eandem pariter deducit moralitatem, inquit, nulla contra Diabolum efficaciora esse arma, quam Scripturarum meditationem, et verbum Dei, quod est gladius spiritus, omnes facile resecat cupiditates carnis, suggestionesque Diaboli. S. Thomas de Villanova in concione in primam Dominicam Quadragesimae, eam-

dem ponderationem his verbis proponit: Valde nobis in hoc Christus commendavit sacram Scripturam, dum omnes istos Diaboli conflictus sacra Scriptura auctoritatis superavit. S. THOM. VILL. conc. 1. in *Dominic. I. Quadr.*

DAMNUM VITÆ LECTIÖNIS. — Nota est historia, quam liber Josue tradit de Achau, qui furto suo contra Dei præceptum admissio, populi illius, qui magnis passibus ad terram promissa acquisitionem properabat, victoriosum sistit eum. Circa quod factum admirandus Origines, talem format discursum: Videamus peccatum ejus quale sit; furatus est regulam auream, et posuit eam in tabernaculo suo. Non puto, in illo furto parvi auri, tantam vim fuisse peccati, ut tam numerosam Domini Ecclesiam macularet. Sed videamus, ne forte interioris intelligentiæ sit tanta ac tam gravis acerbitas ista peccati. Multus decor est in verbis, et multa in Philosophorum vel Rhetorum sermonibus pulchritudo, qui omnes de civitate Jericho, id est, hujus mundi homines. Si ergo invenias apud Philosophos perversa ludenti regulam assertionibus decorata, ista est semina aurea: sed vide, ne te decipiat fulgor operis, ne te rapiat sermonis auri pulchritudo. Memento, quia Jesus anathemata jussit esse, omne aurum, quod in Jericho fuerit inventum. Si poetam legeris, modulatis versibus et præfulgido carmine deos, deasque texentem, ne delecteris eloqui suavitate, regula aurea est; si eam sustuleris, et posueris in tabernaculo tuo, si introduxeris in cor tuum ea, que ab illis asseruntur, pollues omnem Ecclesiam Domini. Hoc fecit infelix Valentinus et Basilides, hoc fecit et Marcion, Hæretici. ORIGENES hom. vii. in *Josue*.

Querunt nonnulli, cur Dæmones a corpore hominis obsessi, a Christo exire jussi, potius ab eodem petiere licentiam ingrediendi in porcos, velut in centrum ipsorum, quam in alia nobiliora animalia? Hujus utique causa non est alia quam quia libri obsceni et turpes, sordidissimi sunt Dæmonum cibis, quibus sicut porci glandibus satiantur, quibus S. Hieronymus in epistola quadam ad S. Damasum, libros lascivos similes esset dicit; ac proinde Petrus Blessensis in epistola quadam, ad ejusdem nominis M. Petrum Blessensem, eum a lectione librorum profanorum, in sacrorum et spiritualium lecturam exhortans, his eum verbis

affatur: Exi, quæso, de fœditate porcorum ut pascaris in deliciis domus Dei; mensa enim sacra Scripturæ contra omnes spirituales nequitias tibi parata est. Ideo mensa Tabernaculi ad Aquilonem posita memoratur, propterea scriptum est: «Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.» PETRUS BLESSENSIS, ep. lvi.

Persona quadam fide dignissima retulit, quod, cum eo tempore, quo emergentis quidam exoreizabatur, ad eundem quoque locum curiositatis causa juvenis quidam studens convenisset, Dæmon eidem cum magna benevolentia significatione occurrit, dicens: Beneveneris, mi dilecte Presbyter, qui Missale meum in sinu tuo semper tecum defers, alludendo ad poema Ariostii, quod semper secum habebat, quocumque iret. Unde non sine causa auctor quidam se lectionem profanam supra modum detestari ait. Sicut enim Christus suos habet Evangelistas, ita quoque Dæmon Evangelio tot poetas et auctores obscenos et profanos, veluti totidem Evangelistas suos opponere nititur. MANSI, disc. xvi, n. 12.

S. Joannes Apostolus in Apocalypsi hanc sibi visionem in spiritu ostensam esse scribit: «Vidi, et de ore draconis, et de ore bestie egressos spiritus tres immundos, in modum ranarum.» Porro per hunc draconem Rupertus Abbas Dæmonem intelligit, inquit: Draconis nomine Diabolus significatur. At vero quid hæc rana denotabant? Idem venerabilis auctor scribens super capitulum trigesimum secundum Lib. primi Exod. et super præfatum Apoc. textum, per hæcce ranas lascivorum Poetarum libros et tractatus intelligendos esse, dicit. De his enim idem Rupertus ait: Rogitant Spiritus immundos aspirare sibi, sacrilega præsumptione Deos appellantes, cum Dæmones sint. Hi autem ex ore draconis infernalis egrediuntur, quia libri et poemata illorum veri sunt Dæmonis partus. *Ibid.*

DAMNUM NEGLECTÆ LECTIÖNIS SACRÆ. — Holophernes Bethuliam invasurus, quo putatis usus fuerit stratagemate? dum circuit per gyrum, reperit, quod fons, qui influebat, aquæ ductum illorum a parte australi extra civitatem dirigeret, et incidi præcepit aquæ ductum illorum. Philisthæi pariter populum electum devincere volentes, omnes gladiorum et lancearum fabros et artifices e terra Israel evocarunt. Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra

Israel; caverant enim Philisthæi, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam. Nunc igitur tam Holophernes, quam Philisthæi, inimicos figurabant infernales, qui aquæ ductus incidere conantur, armaque auferre; scilicet librorum sacrorum lectionem, aut abolere, aut impedire. Ita namque Glossa dictum libri Judith textum, et illum alium libri Regum interpretatur, dum ait: Hoc enim maxime Diabolus studet, ut doctrinæ fluentia, et virtutum arma auferat, et sic sævitiam suam in interitum servorum Dei velociter expleat. JUTH. c. vii. *Mansi*, lib. n. 8.

LIBERALITAS.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, ad liberam largitiones pecuniarum, sine spe retributionis, inclinans. (S. AUG. de *Defn.*) Vel, ut alius definit, est habitus virtuosus in quærendis erogandisque pecuniis decorum servans; atque adeo inter avaritiæ et prodigalitatiæ extrema consistens. Pecunie autem nomine intelligitur, quidquid pecuniis æstimari potest. S. Ambrosius notat, eam etiam Benignitatis et Beneficentiæ nomine appellari. Benignitas quidem, si præcise in affectu consistat (neque enim satis est, inquit, benefacere, nisi id ex bono fonte, hoc est, ex bona voluntate proficiatur). Beneficentiæ vero, si effectum cum affectu jungat, ad quem hortatur Apostolus, dicens: Nunc vero et factio perficite, ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo, quod habetis. II. Cor. viii, 11.

DIVISIO. — Duo sunt genera liberalitatis, Cicerone teste, unum est in dando beneficio, alterum in reddendo. Illud in nostro est arbitrio, hoc negare non licet viro bono, si quidem sine gravi damno præstare possit. Lib. I. de *Offic.*

ACTUS. — Bona sua Christo, pauperibusque ad usum sine tædio communicare.

Eadem pro Dei honore, et proximi utilitate, liberaliter impendere.

Esse fugitantes litium, abhorrentem a jurgis, et suo jure potius cedere, quam aliena jura pulsare.

Prævenire preces alterius; nam ut recte Poeta cecinit.

Gratus est donum, quod venit ante preces.

Liberali et benevolenti affectu offerre; nam Liberalitas, teste S. Ambrosio, non cumulo patrimonii, sed largitatis definitur affectu. de *Vindictis*.

Cito offerre, quod dare quis decrevit; nam, ut Seneca recte dixit, duplex fit bonitas, cum accedit celeritas.

Non diu differre negationem, si dari non potest, quod petitur; nam, teste Cassiano, honestius est negare, quam longos terminos dare; quia minus decipitur, cui celeriter negatur. In *Epist.*

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — In omni dato hilarem fac vultum tuum; et in exultatione sanctifica decimas tuas. *Ecccl. xxxv, 11.*

Bono animo redde gloriam Deo; et non minutas primitias manuum tuarum. *Ib. 10.*

Noli offerre munera trava, neque enim suscipit illa (Deus). *Ib. 10.*

UTILITAS. — Munus absconditum extinguit iras, et donum in sinu indignationem maximam. *Prov. xxi, 14.*

Qui odit avaritiam, longi fient dies ejus. *Prov. xxviii, 16.*

Beatus est magis dare, quam accipere. *Act. x, 35.*

Alii dividunt propria, et ditiores fiunt; alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. *Prov. xi, 24.*

Da Altissimo secundum datum ejus, et in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum; quoniam Dominus retribuit est, et septies tantum reddet tibi. *Ecccl. xxxv, 12.*

DIGNITAS. — Oblatio justii impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Altissimi. *Ecccl. lxxxv, 8.*

Sacrificium justii acceptum est, et memoriam ejus non obliviscetur Dominus. *Ib. v, 9.*

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Affectus divitem collationem facit, aut pauperem, et pretium rebus imponit. Hinc Christus duo ara viduae illius